



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv Doctoribvs Reseratvs

Escobar y Mendoza, Antonio de

Lvgdvni, 1659

IV. De Contritione prima parte Pœnitentiæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41066

tio redit, & pœna maior ob accepti beneficii ingrati-
tudinem.

CAPVT IV.

De Contritione, prima quidem parte
Pœnitentiæ.

18. **D**ixisti partes integrantes Pœnitentiæ esse Contritio- S. 1.
nem, Confessionem & Satisfactionem. Ad primam igitur Contri-
tionem Pœnitentiæ partem, siue actum primum pœnitentis accedo. tio &
Quid est Contritio? Animi dolor, & detestatio de commisso Attri-
peccato, cum proposito non peccandi de cætero. Porro si tio.
detestatio ista sit quatenus offensa Dei est, & propter Deum
summè dilectum propria Contritio est, Attritioni condistin-
cta; si de peccato quomodocumque, siue ob temporale mo-
rituum, siue ob æternum, v. g. ob peccati fœderitatem, & inferni
pœnam, Attritio est, quæ quidem cum Sacramento sufficiens
est ad hominem disponendum ad gratiam, modò supernatu-
ralis sit, & ex motu æterno, vt pœnæ inferni, priuationis
gloriæ, offensæ etiam Dei, sed non summè dilecti. Profectò
Contritio formaliter detestatio quædam est, ad eamque
amor Dei super omnia requiritur, non qui tunc eliciatur,
sed qui virtutè maneat. Necessarium item est ad illam pro-
positum non peccandi de cætero, si per se loquamur: at per
accidens, satis est virtuale, si transigendus vitæ cursus in-
mentem non veniat.

19. Quo differunt Contritio, & Attritio? Contritio semper
cum gratia iuncta est, siue quæ in eodem infundatur instanti,
siue quæ antea infusa supponatur. Attritio verò à gratia po-
test esse disiuncta, vt in peccatore, qui Sacramenta, ad quæ
sufficiens Attritio disponderet, non recipit. Contritio qui-
dem sine Sacramento in voto, post eius institutionem, non
iustificat: Attritio verò sine Sacramento in re.

20. Requiritur ne ad singula peccata expianda singula
Contritiones? Vnus actus sufficit ad omnia delenda. Neque
tenemur eodem actu mortalia & venialia detestari; quia
possumus remissionem mortalium obtinere, non obtenta ve-
nialium remissione.

21. Potest ne aliquis per Contritionis actum iustificari nisi
cognitionem habeat peccatorum? Debet planè aliquam cogni-
tionem

C C C

770 *Moralis Theologia Tract. VII. Sacramenta,*
tionem saltem confusam peccatorum habere; quia Contri-
tio est actus voluntatis, quæ in obiectum non fertur inco-
gnitum. Admonuerim tamen pluribus in casibus debere
pœnitentem peccata sua distinctè recogitare: v. gr. quando
post Contritionem faciendæ est Confessio, quando restitu-
tionis faciendæ extat obligatio, & quando remedium ali-
quod ad euitanda crimina est adhibendum. Porro iustifi-
catur tamen qui Contritionis elicit actum vnus solum-
modo peccati, cuius recordatur, factò diligenti conscien-
tiæ examine.

22. *Quando quis actum Contritionis teneatur eliceret*
Non statim ac peccat, sed statò tempore, nempe in mortis ar-
ticulo, & in vita aliquoties si solum ius naturale spectetur, &
probabile est quinto quoque anno.

23. *Quid si ad ius posituum respiciamus?* Nullum determi-
natum tempus est ad quod adultus obligetur extra Pœniten-
tiæ Sacramentum, & tunc sufficit imperfecta Contritio, seu
Attritio, quæ perficitur per Sacramentum. Quare nec singu-
lis annis deficiente Confessario, nec singulis festis, nec ratio-
ne periculi obliuionis peccatorum viget obligatio. Ex acci-
denti profectò vim obligandi potest habere siue ob mortis
spiritualis periculum, siue ob Sacramenta dignè admini-
stranda, vel recipienda.

24. *Exigitur ne certus intensiois gradus ad Contritionem?*
Minimè; satis enim est ipsius substantia in quocumque sit
gradu.

CAPVT V.

De Confessione secunda Pœnitentiæ parte.

§. I.
Confes-
sionis
condi-
tiones.

25. *Quid nomen Confessio?* Criminis in Sacramento pœni-
tiæ manifestatio ad veniam consequendam eui-
dem. *Quando instituta Confessio?* Quando in lege Euan-
gelica Christus suis Discipulis Ioann. 20. dixit: *Accipite Spi-
ritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &
quorum retinueritis, retenta sunt.* Ita describitur à Doctoribus
legitima peccatorum accusatio facta coram Sacerdote in Sa-
cramentali iudicio Dei locum habente, ad veniam peccato-
rum virtute Clauium obtinendam.

26. *Præst*